

juniorum costæ elevatæ, rostrum jam 5 lin. longum.—In montibus Sacramento.

1818 (349). *MALACOTHRIX obtusa*, sp. n., annua, erecta, ramosa, foliis radicalibus runcinato-pinnatifidis lobis sinuato-dentatis obtusis muticis, caulinis paucis linearibus runcinatis v. summis integris, junioribus supra lanatis demum glabratis, capitulis numerosis parvis.—Similis *M. sonchoidi* sed ramosior elatior, foliorum lobi nunquam spinulosi, lana nivea superficiem foliorum novellorum fere obtegit, in foliis adultis vel omnino deest v. hinc inde fasciculatim conspersa persistit. Flores albidii v. pallide flavi videntur.—In anni exsiccato rivulorum in montibus Sacramento; occurrit etiam inter plantas Douglasianas.

1819 (79). *MALACOTHRIX parviflora*, sp. n., annua, erecta, ramosa, glabra, foliis radicalibus runcinato-pinnatifidis angulato-dentatis (muticis?) caulinis parvis subintegris, capitulis numerosis parvis, achæniis breviter obovoideo-oblongis.—Hæc etiam valde affinis est *M. sonchoidi*, sed folia non spinulosa et capitula multo minora. Involucri squamæ interiores 2 lin. longæ. Achænia dimidio minora iis *M. sonchoidis*, obscure tetragona, leviter obcompressa et subincurva, tenuiter costata, margine tenui coronata, pappo niveo caduco. Flores in sicco lutei.—In sylvis prope Santa Cruz.

1820 (317). *GITHOPSIS calycina*, sp. n., segmentis calycinis tubo suo dimidio duplove longioribus corollam superantibus.—Folia obtuse serrulata. Calycis tubus per anthesin obconicus, 4 lin. longus, post anthesin elongatus, profunde 10-striatus, laciniæ 8-9 lin. longæ. Corolla fere ad duas tertias laciniarum calycis attingit. Cætera omnia cum descr. Nuttaliana *G. specularioidis* conveniunt.—In valle Sacramento.

1821 (316). *GITHOPSIS calycina*, var. *hirsuta*.—In valle Sacramento, cum præcedente.

1822 (248). *CLINTONIA pulchella*, Lindl.—A. DC. Prod. 7. p. 347, var. *pumila*, calycis laciniis ratione corollæ minoribus.—In locis humidis vallis Sacramento.

1823 (157). *VACCINIUM ovatum*, Pursh.—Dun. in DC. Prod. 7, p. 570.—*Metagonia ovata* Nutt. Trans. Amer. Phil. Soc. 8, p. 264.—In sylvis prope Monterey.

1824 (158). *XEROBOTRYS tomentosa*, Nutt. Trans. Amer. Phil. Soc. 8, p. 267.—*Arctostaphylos tomentosa*, Dougl.—DC. Prod. 7, p. 585.—*Andromeda?* *bracteosa*, DC. Prod. 7, p. 607.—In montibus prope Monterey.

1825 (159). *XEROBOTRYS tomentosa*, Nutt. var. *hirsuta*.—In montibus prope Monterey cum præcedente.

1826 (160). *XEROBOTRYS venulosa*, Nutt. Trans. Amer. Phil. Soc. 8, p. 268.—*Andromeda?* *venulosa*, DC. Prod. 7, p. 607.—Frutex 2-3-pedalis, in locis siccis et apertis prope Monterey frequens.

1827 (98). *AZALEA calendulacea*, Mich.—DC. Prod. 7, p. 717.